per latera mensę erant. cum subditur: Et ad latus exterius duę mensę. atque
ad latus alterum ante uestibulum duę mensę. Inter quas etiam porta quę re
spicit ad uiam aquilonis esse memoratur. Quia hoc in loco aquilonis porta descri
bitur. contra quam esse porta exterior ante uestibulum non dubitatur. Nam cum tres
portas superius descripserit. tres quoque alias interioris atrii esse memorauit.
quarum extremam aquilonis portam narrauerat. sed ut praedictum est. atrii inter
ioris. Nunc ergo cum duę mensę hinc in portę uestibulo. et duę mensę inde de
scribuntur. et rursus in exteriori uestibulo quattuor mensę esse perhibentur.
aperte iam circa interiorem portam duo uestibula esse memorantur. Inter quę
ut diximus porta aquilonis interior staret. Porta itaque interior in interi
ori uestibulo binas per latera mensas habere descripta est. atque in exteriori simi
liter binas. Quattuor autem hinc et quattuor inde mensę. VIII. paratę fiunt.
dum per latera singula binę in uestibulo interiori. et binę hinc et inde in ex
teriori esse describuntur. His itaque de exteriori narratione discussis. ad spiri
talem intellectum sermo redeat. Qui tanto iam esse largiente domino facilior
debet. quanto nos exterioris descriptionis ignorantia non angustat. Dum
enim una porta. id est interior. inter duo uestibula esse describitur. tacite etiam
porta exterior ad mentem reducitur. Intra quam uestibulum ante portam
interiorem esse perhibetur. Non iam ergo nobis de una. sed de utraque tractandum est.
Possunt autem portarum nomine sicut superius dictum est. sancti prędicatores in
telligi. ut uestibulum portę sit plebs. Qui dum mente humili uerba praedica
tionis suscipit. in eo mensę ad sacrificium ex uirtutibus construuntur. Rursum
nichil obstat. si portam accipimus. hoc quod nobis per ora praedicantium sacri elo
quii intellectus aperitur. ut uestibulum portę eidem nobis praedicationis
uerba sint. Quę prius humiliter accipimus. ut post ad sacri eloquii intel
legentiam ueniamus. Consideremus itaque sanctam ecclesiam atque sinagogam. et sit

Nota Predicatores et populum.

© Staatsbibliothek Bamberg
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/sbbam_mscpatr69/0353